Acies Ordinata

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B. M. V. OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V.

NUMERUS 8 - ANNI I — November 1924 — ROMA (17), V. DEGLI ASTALLI, 16

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De Directore Congregationis

In Congregationibus dirigendis summi momenti est, ut Director suum officium bene noscat eoque bene fungatur. Adagium illud: " Qualis rex, talis grex " locum habet etiam, ubi de Directore Congregationum Marianarum agitur. Operae igitur pretium est, ut Directoris officium, iura, qualitates, rectusque in agendo modus paulisper enucleentur.

De potestate Directoris.

Director in Congregatione summam auctoritatem habet, est enim plena iurisdictione constitutus ad regendam Congregationem. Ius habet ad omnia illa decidenda, quae ad Congregationis vitam pertinent. Nulla decisio sive Magistratus Consilii, sive totalitatis Sodalium ullum habet valorem iuridicum, nisi ille assentiat. Ad eum solum pertinet novos Sodales admittere, vel aliquem e Congregatione dimittere, Officiales nominare vel electos approbare, ordinem in conventibus vel consultationibus statuere, de rebus operibusque ad Congregationem spectantibus disponere. Forma regiminis in Congregatione est monarchica.

Regulis Congregationum inculcatur: " In omnibus, quae pertinent ad vitam Sodalitatis, obediant omnes Sodales cum prompta et submissa voluntate iussis et consiliis Patris Directoris " (*Regula 44*). *Regula vero 50* de Consilio agens haec habet: " Eae censebuntur decisiones Consilii et ut tales promulgabuntur, quae absoluta maioritate votorum Consilii factae et a Directore approbatae et rite publicatae fuerint. Sine cuius consensu nulla resolutio, etiam acceptata unanimiter, valida censeri debet ". Imo ipsa Bulla " *Gloriosae Dominae* " Benedictus XIV monet et hortatur " singulos Sodales ", ut " devotae subiectionis et obedientiae " meritum quaerant et in omnibus, " quae ad earundem Congregationum statum et regimen pertinebunt, praefati Praepositi Generalis ac peculiarium Moderatorum ab ipso deputatorum mandatis consiliisque alacri et prompta voluntate obtemperare numquam recusent ".

Quomodo hac potestate utendum?

Nec tamen rectum esset, si Director hac summa sua potestate modo quodam autocratico vel etiam tyrannico uteretur. Necesse erat ei omnem potestatem concedere, qua uti posset in casu stringentis necessitatis; nec tamen prudens esset potestate illa immoderate aut sine necessitate uti. E contra ordinarium Congregationis regimen illud est, ut Director nihil fere maioris momenti decernat per se ipsum, sed ordinarie consulto Praefecto, vel etiam Magistratu, imo aliquando toto Sodalium coetu interrogato demum aliquid definiat. Hoc enim ad suavitatem gubernii in Congregatione adeo necessariam pertinet. Imo Directoris boni est: esse in Congregatione idem, atque anima est in corpore, ut sit principium vitae, nec tamen videatur esse. Studeat, quantum fieri potest, omnia potius per alios quam per se facere; instigare activitatem singulorum, atque etiam Magistratus, suggerere eis ideas bonas, ita tamen, ut potius illi se ad tales ideas devenisse, quam ab ipso in eas inductos esse sentiant. Magnum quippe momentum paedagogicum habet, ut ii, qui ad agendum per se ipsos inducendi sunt, sentiant etiam se ipsos agere posse. Magis porro amant formas illas democraticas Sodales, maxime viri et iuvenes. Tandem studiosius ipsi quoque de Congregatione curabunt, si eius sortem suis quodammodo humeris impositam esse intelligant, quam si discipulorum more tractentur, omniaque Praesidis esse putent.

De dotibus boni Directoris.

Dotes boni Directoris hae fere erunt:

1. Director sit ipse prae ceteris *vir spiritualis et supernaturalis*. Quomodo enim alios ad vitam

altiorem ducet, quomodo hominibus saecularibus gustum pietatis dabit, si ipse vir asceticus non est? Sit praesertim homo cultu et amore B. M. Virginis excellens, augendaeque eius gloriae desiderio flagrans. Nemo enim, ut philosophi aiunt, dat, quod ipse non habet. Ferveat tandem animarum zelo, quo et ipse in labore suo nonnunquam satis arduo sustentetur, et Sodales suos ad opera apostolica cupienda et exercenda inflammet.

2. Sit deinde homo *laboris patiens et indefessus*. Congregationem nonnisi strenuo et constanti Directoris labore florere omnes fatentur. Praeparare debet Director non tantum exhortationem in Sodalium coetu habendam, sed etiam quidquid Sodalibus suggerere velit, sive omnibus, sive huic vel illi, sive Magistratui, sive singulis Officialibus. Totam vitam internam Congregationis totamque operationem externam ipse non tantum mente complecti et dirigere, sed etiam proprie movere et agitare debet, multumque secum ipse considerare, quid facto opus sit, ne Sodalium fervor tepescat, neve Sodales taedio quodam afficiantur, neve in vetitas et imprudentes vias abeant. Haec omnia multam patientiam laboremque improbum exigent.

3. Sit Director *suavis simul et fortis*. Suavitate enim Sodales maxime attrahuntur et in Congregatione retinentur; suavitate item Directoris imprimis efficitur, ut sensus ille familiaris, quem Congregatio omnibus modis fovere debet, quique B. Virginis familiam tantopere decet et ornat, vivus inter omnes Sodales maneat. Ne igitur Director rigidiore unquam modo cum Sodalibus agat, nisi cum ad extremum in aliquo casu ventum sit. At semper suavitati misceat animi fortitudinem. Sciat constanter et efficaciter urgere Sodales, ut regulas servent, coetus frequentent, serioque conatu, quae promiserint, in id incumbant. Sciat et audeat multum postulare a Sodalibus, tum quoad exercendas virtutes, tum quoad labores apostolicos. Sciat etiam auctoritatem suam servare, neve omnem suam potestatem aliis relinquat. Sciat tandem, si opus sit, esse severus, maxime in reprimendos, si qui irrepserint, abusus vel etiam scandala, et in resecandis membris aridis vel veneno infectis, quaeque aliis nociva esse possint.

4. Habeat etiam *naturales illas et acquisitas qualitates*, sine quibus aliis bene praeesse non potest. Sit imbutus imprimis scientia theologica et apologetica tali, ut doctrinam catholicam lucide exponere, casus a Sodalibus allatos solvere, difficultates nostro praesertim tempore agitatas diluere possit; idque ita, ut etiam Sodales ad sanam doctrinam propagandam aptos reddat. Noverit etiam satis literarum et scientiarum modernarum, ut errores harum veste tectas refellere sciat. Cognoscat tandem ipsam vitam huius temporis et indolem hominum modernorum, ut sciat, quid potissimum in Sodalitate tractandum, quaenam opera maxime suscipienda vel commendanda sint, quove modo. Multum prodest habere silvam quandam rerum, dictorum, eventuumque, quibus narrandis doctrinam ipsam confirmare et illustrare poterit. Si praeterea Director etiam eloquentia excellit, eo melius est, sed non est necessarium, nam in Congregatione non adeo orationes arte rhetorica insignes quaeruntur, quam potius simplex quaedam ac magis familiaris allocutio, vel etiam, aliquando saltem, collocutio spiritualis.

5. Sit tandem Director non ita theoreticus quidam magister, ac multo minus simplex Sodalitatis capellanus, quam potius *dux practicus apostolatus*, ad agendum et ipse natus et alios incitans. Agat saepe de necessitatibus Ecclesiae et animarum periculis ac de modo, quo utrisque succurri possit. Indicet vias faciles et singulorum viribus et conditioni accommodatas, quibus cum ad perfectionem christianam et solidam pietatem, tum ad apostolatum fructiferum perveniatur. Doceat Sodales e. g. modos simpliciores mentaliter orandi, examinandi utrovis modo conscientiam, ad s. synaxim sese accingendi, missam cum fructu audiendi, indulgentias lucrandi, tentationes vincendi; item viam homines ab indifferentismo religioso retrahendi, ab Ecclesiae odio vel a peccatis repellendi, pueris ac rudibus catechesin tradendi, pauperum miseriae ita subveniendi, ut simul animis eorum medicina detur, aegros ac moribundos iuvandi et ad sacramenta sumenda parandi, homines ad facienda spiritualia exercitia vel audiendas bonas conciones alliciendi, libros ephemeridesque malas impugnandi bonasque laudandi ac propagandi, missionibus externis subveniendi, petulantiam inimicorum Christi frangendi, morum licentiam in vestitu, theatris, choreis cohibendi, iura Ecclesiae etiam in civica vita defendendi et similium rerum.

Qui sint defectus Directorum magis communes?

Defectus Directorum magis communes hi sunt:

1. Non valde aestimare Congregationem, nec multum curare res Sodalitatis.

2. Non cognoscere Sodales suos, vel non cognoscere usus et Regulas Congregationis.

3. Non curare, ut aestimetur et uti pater ametur a Sodalibus suis.

4. Nimis longas et aridas exhortationes dicere.

5. Omnia per se ipsum facere et ordinare

velle et Sodalibus aut non dare occasionem sponte agendi, aut non excitare eos ad agendum sponte.

6. Aut solam pietatem in Congregatione colere aut sola opera externa.

7. Theoretice tantum Sodales ad virtutem et apostolatum hortari, nec docere eos modum practicum, quo utrumque exercendum sit.

8. Nimis remissum esse e. g. in urgenda Regula de frequentandis conventibus.

9. Non habere Academias ac Sectiones, ubi his opus est.

10. Non bene seligere admittendos, nec curare, ut Candidati bene instruantur.

EPISTOLAE AD EDITOREM

I

De principio selectionis non exaggerando.

Reverende Pater Editor! Nescio an sententia, quam A. O. iterato iam defendit, circa *selectionem* admittendorum in Congregationem, sit omnino iusta, i. e. utrum revera debeat Congregatio a suis Sodalibus tam multa postulare, quam e. g. "Epistola ad Editorem" pag. 61 fasciculi 6 exponitur.

Mea quidem opinione Congregatio accommodare se debet factis et evolutioni historicis. Iam his docemur, Congregationem *non solum bonos et optimos amplecti solere, sed etiam eos, qui utcumque bona voluntate sunt* et per Congregationem servari possunt.

Sic Congregatio sequitur exemplum ipsius Christi Domini, qui quidem 12 Apostolos selegit, sed dum hos instituit, simul multitudini praedicare non destitit.

Accedit, quod selectionem illam modo uniformi ac iusto exsequi difficillimum est. Ii enim, qui uno loco selecti dicuntur, alibi communis plebs dicerentur, et vicissim. In hac civitate "selecti" dicuntur ii, qui quater in anno ad Sacramenta accedunt, in illa ne ii quidem omnes "selecti" censentur, qui semel in mense ad s. Communionem eunt.

Et, quaero, an revera Curia nostra Romana hanc selectionem tam rigide exigit? Nunquam audivi, aggregationem alicui Congregationi inde fuisse negatam, quod non satis Sodales suos seligeret. Esset etiam res ardua; nam in multis regionibus hoc pacto *vix decimae cuique Congregationi* aggregationem petenti assentiendum esset.

In Germania Congregatio pars est *ordinariae curae animarum.* Auctoribus Episcopis in singulis fere pagis et parochiis integrarum dioeceseon habentur: pro viris "Apostolatus virorum" (idem fere ac "Holy Name Society" in America), pro mulieribus "Associatio Matrum Christianorum", pro iuvenibus "*Congregatio* B. M. V. iuvenum", pro puellis "*Congregatio* B. M. V. virginum". His ultimis nomen dare *debet,* quisquis *honestus* adolescens seu *honesta* puella est. Ubinam est selectio? An vis abolere hanc organisationem? Praeterquam quod esset hoc contra voluntatem Episcoporum et Parochorum, 600.000 virgines et similem numerum adolescentium privares nomine et gratiis Sodalitatis Marianae! Conantur hi omnes B. Virginem colere; accedunt ad Sacramenta, ut plurimum, singulis mensibus. Quid volumus plus? Dices: apostolatum. Bene, sed hunc semper liberum est Directori fovere in iis, quos ad apostolatum exercendum aptiores exsistimat. Imo in coetibus numerosis communiter habentur duo magistratuum circuli; magistratus angustior et largior; largior enim complectitur etiam illos, quos *confidentiarios,* seu *zelatores* vocamus, eos inquam, quibus singulis viceni Sodales commissi sunt, ut eis suaviter invigilent, eos ad conventus habendos invitent etc. Ecce habes, si vis, selectam aliquam cohortem apostolicis operibus studentem.

Adde hoc momentum: apud nos Congregatio *totum iuvenem* amplecti debet, non solum vitam eius proprie religiosam, sed etiam culturalem, imo corporalem. Non possunt iuvenes quasi in duas vel tres partes scindi, duabus vel tribus associationibus subesse. Hae enim inter se saepe opponuntur et collisionibus sempiternis ac rixis ansam dant. Ergo iuvenis uni associationi, uni Directori subsit oportet. Iam nisi malimus maximum numerum adoloscentium nostrorum perdere, ita ut ad societates irreligiosas avolent, omnino necesse est talem societatem religiosam eis portendere, quae simul eos in vita ipsorum iuvet intellectuali et corporali (exercitationibus sportivis), imo recreationibus honestis eos foveat et circumdet. In meras Confraternitates iuventus ista non vult ingredi; manet ergo sola Congregatio, tamquam aptum medium organisandi modo religioso omnes adolescentes catholicos bonae voluntatis. Et nos viam eis et aditum claudamus, ob nescio quod selectionis principium, quod ne clare quidem circumscribere possumus?

Largiori huic modo cogitandi certe id debemus, quod apud nos nunc e. g. in confoederatione solius *iuventutis masculinae operariae* (exclusis studiosis) non minus 350-400.000 adoloscentes opifices Sodales habemus. Quid de hac multitudine esset, si eis ianuas Congregationis clausissemus? Verum est, non omnes aequo modo esse ferventes. Sed numquid in Congregationibus pressius dictis omnes excellunt? Numquid omnes accurate suis officiis satisfaciunt? conventibus interveniunt? Pars tamen maior iuvenum nostrorum certe bona est, secus inter tot tentationes et etiam persecutiones atque infestationes ex parte sociorum socialistarum et communistarum non persisteret.

X. Y.

Responsum editoris. Epistola ista revera optime congerit argumenta ad defendendum systema illud, quod Congregationem, praesertim apud iuventutem, multitudini aperire solet, principio selectionis satis relicto. Cuius principii usum, maxime apud iuvenes, non carere difficultate, ultro concedimus, cum aliquando in examinandis Candidatis vix discerni possit, quinam vero studio virtutis repleti et inflammati sint, quive sint probabiliter perseveraturi. Si quis associationes iuventutis illas numerosas et amplas, quae omnes fere ad se adventantes admittit, Congregationem vocare velit, tandem litem de

verbo moveret; ordinario autem vocabuli sensu non vocamus Congregationem, nisi quae Sodales colligat illos solos, qui maiorem in modum sese in virtute et religione perficere atque simul apostolatum exercere sub speciali B. Virginis patrocinio desiderent. Ceterum quoad ea, quae epistula citata efferuntur, haec notanda invenio:

1. Si illae associationes revera tales sunt, uti circa finem epistulae exhibentur, nihil obstat, quominus *verae Congregationes* dicantur; etiam quoad principium selectionis. Nam ad s. Communionem saltem singulis mensibus accedere, firmiter stare in tentationibus et socialistarum infestationibus, defendere rem catholicam et peculiari modo colere B. Virginem (haec enim in statutis illius confoederationis "Fuldensibus" expresse continentur), certe signa sunt verae, etsi non severae selectionis. Sed quisnam affirmaverit, selectionem illam, quam urget Congregatio, rigidam esse oportere, aut talem forte, qualis in admittendis in Novitiatum nostrum tironibus requiritur?

2. Si tamen studium hoc maioris fervoris et apostolatus in magna illa multitudine omnino deesset et solum in illis coetibus restrictis haberetur, qui in epistula "Magistratus largiores" appellantur, melius certe esset, hos coetus restrictos appellare Congregationes; reliquam multitudinem vero alio nomine vocare. Sed quidnam impedit, quin etiam reliqui, qui non sunt de his "ristretti", in veros Sodales formentur, dummodo ad studium perfectionis sui et ad apostolatum inducantur et dirigantur? Tandem principium selectionis non dicit idem ac "principium parvorum numerorum". Possunt multi esse "selecti".

3. Quoad culturam intellectualem et corporalem, imo recreationes: duo sunt notanda. *Primo:* in quantum hae res (studia profana, sport etc.) specialiter pro Congreganistis organisandae erunt (quod accidit, ubi secus iuvenes in societatibus indifferentibus vel areligiosis illas res quaerere deberent, vel ubi adsunt quidem similes organisationes catholicae, sed cum Congregatione pacifice cohabitare nolunt), nihil impedit, quominus a Congregatione organisentur, sed generatim loquendo consultius apparet, ut non tamquam Sectiones, sed tamquam opera Congregationi *adnexa*, eique subdita instituantur, ad confusiones quasdam vitandas, et quia proprie sub conceptum Congregationis non intrant, utpote res per se profanae. *Secundo:* in ipsa Germania, de qua epistula proxime agit, et in confoederatione illa iuventutis operariae, associationes sportivae et recreatoriae non identificantur cum Congregatione seu Associatione Iuventutis, sed instituuntur experientia duce *separatim*, utique ut adnexae, et sub eodem Directore; habentque ipsum nomen diversum ("D. J. K." = Deutsche Jugendkraft). Qua re ostenditur, etiam in istis regionibus organisationes corporales *coniungi* quidem cum associatione religiosa, sed tamen simul *distingui* ab illas. In confoederatione ipsa circiter 400.000 iuvenes operarii sunt, in D. J. K. solum 150.000.

4. Tandem corollarii instar: ex exemplo adducto patet id, quod etiam secus saepe videri potest, sacerdotes zelosos, atque etiam Nostros, saepe optime laborare et novis nominibus opera utilissima instituere et dirigere, *quin plene animadvertant, quidquid boni in istis operibus contineatur, a longo tempore nobis praesto esse in Congregationibus nostris* earumque legibus, dummodo hae leges scite ad necessitates varias temporum ac locorum accommodentur. Congregationis leges non sunt rigidae et inflexibiles, sicut decreta regum Persarum et Medorum; sed sunt potius principia in natura rerum fundata et longo usu ac sapienti experientia nixa, quae etiam necessitatibus temporis nostris satis facili negotio applicantur.

Ceterum de relatione Congregationis ad alias associationes Iuventutis Catholicae alibi et tractavimus et tractabimus plenius.

II

Reverende in C. Pater!

1. In ephemeride "A. O." inter "errores, qui in regendis Congregationibus maxime committuntur", hic numeratur: "Nullus aut paucissimus tantum contactus ususque familiaris inter Directorem et Sodales" (A. O. mense iulio, p. 72).

Nonne hoc ipso clare insinuatur, Nostros nonnisi Congregationibus *virorum* cum fructu notabili curam impendere posse? An forte nostri Directores Sodalitatis marianae in aliquo instituto puellarum educandarum cum istis puellis multum et "familiariter" conversari ac tempus terere debent? Numquid non melius esset, talium Congregationum curam omnino aliis relinquere, si quem ad eam sibi assumendam paratum inveniant; si vero non inveniant, illud recte inferre, alios sacerdotes nobis prudentiores esse, utpote qui tales labores nullum notabilem fructum promittentes sibi assumere renuant? Porro, quid Directores Sodalitatum virginum agere debent? Numquid fortasse istas virgines frequenter in nostris collocutoriis apparere oportet, ut "contactus ususque familiaris inter Directorem et Sodales" existat et insuper variis suspicionibus, ne dicam periculis, locum dent? Dicet aliquis: non in nostris collocutoriis, sed in Sodalitatis aula illam familiaritatem promoveri oportere. Sed omisso, quod talis aula non semper in promptu est, num quis Iesuita Sanctum suum Parentem Ignatium sibi repraesentare potest cum coetu mulierum diutius confabulantem? Mea opinione pro non paucis ex femineo sexu Sodalitas non est nisi "sport" quidam spiritualis, quem, p. oh dolor, etiam Nostri promovent. Nimis naturale est enim puellis desiderium apparendi in publico vestibus albis indutis, crinesque floribus coronare.

Eodem numero A. O. p. 70 notitia affertur de incremento, quem Sodalitates anno 1923 habuere. Haec statistica non multum affert consolationis, cum nos edoceat Congregationes Marianas, primitus pro studiosa iuventute, deinde pro viris institutas, eo devenisse, ut e 1067 novis Congregationibus aggregatis *nonnisi 268 pro virili sint sexu.*

2. Magna difficultas evenit Congregationibus ex ipsis Sodalibus, qui *in Congregatione senuere.* En! Habes florentem Congregationem iuvenum recenter institutam. Velis nolis, anni fluunt, et ii, qui quondam iuventute florebant, iam curvo tergo incedunt; inter eos sunt, qui matrimonio nunquam iuncti semper "iuvenibus" annu-

merentur. Cum nunc Congregatio "iuvenum" ad talem statum redacta sit, ut in ea plerique sint senes, veri nominis iuvenes istis aggregari iam nolunt, et sic ex Congregatione quondam florente iam aliud non restat, nisi pia quaedam associatio seniorum, qui suis temporibus ad pias preces fundendas conveniunt, et pro quibus aliquis Pater suum tempus impendit, quod fructuosius aliis operibus magis necessariis daret. Quid igitur in casu faciendum? Seniores excludere est durum et fortasse etiam iniustum; eosdem in Congregatione retinere est verum magnumque impedimentum pro iunioribus; hoc ipse expertus sum. Unicum effugium remanere videtur, ut seniores caelibes ad Congregationem virorum, qui matrimonio iuncti sunt, remittantur, si in eodem loco talis Congregatio adest; si vero talis Congregatio non adest, effugium non invenio. Haec difficultas crescit, si de vetulis virginibus agitur. Viri enim etiam caelibes cum uxoratis multa habent officia communia, quae extra ambitum matrimonii se extendunt. Mulierum autem non eadem est condicio. Officia enim mulieris matrimonio iunctae fere limitibus obligationum bonae matris et coniugis continentur; quid autem pertinent ad vetulas virgines ea, quae mulieribus dicuntur de educatione filiorum, de sanctitate matrimonii, de obligationibus erga coniugem et similibus?

Inter difficultates, quae ex permixtione senum cum iuvenibus proveniunt, eam silentio premere non licet, quae in *distributione officiorum* oritur: senes nolunt habere Praefectum et Consultores iuvenes, et vicissim etiam iuvenes suum ius habere volunt. Dicet quis: ardori iuvenem recte iungatur prudentia seniorum! Hoc theoretice quidem optime dictum est, practice vero fiet, ut seniores segnitiem appellent prudentiam, amorem proprium auctoritatem. In Congregatione iuvenum requiritur et fere sufficit auctoritas et prudentia ipsius Patris Moderatoris.

Commendo me... *A. B. J.*

Nota Editoris. *Ad. 1.* — Distinctione opus est. "Contactus et usus familiaris inter Directores et Sodales" certe aliter intelligendus est apud Sodales feminas et apud viros iuvenesque; magna enim ibi cautione et reservatione opus est. Nec tamen familiaris usus necessario confabulationes vanas et inutiles involvit, quibus sacerdos avocari a labore serio et tempus incassum perdere recte hac epistula dicitur. Id tantum illo "familiari contactu" dicere voluimus, Directori paterno omnino affectu et cura erga singulos Sodales utendum esse, neque quasi peregrinos eos aspicere et tractare debere, neque permittere, ut inter se quasi peregrini et alieni sint, ut aliquando fit, ubi Sodales ne seipsos quidem inter se noverunt, neque Directori noti sunt. Haec enim non est vita vere socialis et familiaris, qualem in Congregatione esse oportet. Disputari potest, num utile sit Congregationes virginum habere Nosiris; sed *si* habetur, *debet* Director bene omnes Sodales cognoscere, easque etiam singulas ad virtutem et apostolatum exercere; quod utique non debet fieri in collocutoriis vel longis colloquiis, sed aliquot verbis, cum occasio fert, e. g. ante vel post conventum ordinarium, in confessionali etc.

Quod vero generatim Congregationes virginum attinet, nostra quoque sententia magna selectione opus est, ubi deliberatur, an et quaenam sint a Nostris ipsis ad regendum acceptandae. In piis institutis Monialium revera luxus est Iesuitam Congregatiunculis regendis detineri. Sed sunt Congregationes virginum, maxime e. g. institutricum in magnis praesertim urbibus, vel studentium Universitatis, quae revera nulli Congregationi virorum sint secundae, exerceantque apostolatum nequaquam spernendum. Aliquando in locis industrialibus socialismo infectis sacerdos vix organisationem catholicam aliter incipere potest, quam pias aliquas operosasque virgines in Congregationem colligendo. Itaque etsi certe viri nimium negligi prae mulieribus videntur, omnes tamen indiscriminatim virginum Congregationes pro damno habere non licet.

Ad. 2. — Res ista reapse magnam saepe difficultatem parat. Addo novum incommodum: quod saepe etiamsi adsit Congregatio specialis pro uxoratis et senioribus, hi transire ad illam nolunt, *volunt enim vi iuvenes manere et videri* et melius se sentiunt inter iuvenes. Nihilominus Director severe omnino et consequenter eos transire iubeat necesse est ad alteram Congregationem; opprimunt enim secus, etsi minime velint, pondere suo iuniores. Quodsi non adest Congregatio seniorum: instituatur! Et ipsi Sodales (si vere Sodales sunt) curent, ut instituatur. Si vero hoc ob rationes nescio quas minime fieri posset, equidem potius dispensarem cum eis a frequentatione coetuum, aut solum semel in mense eos invitarem, quam ut Congregationem iuvenum senulis constare permitterem. Darem eis titulum "Sodalium honorariorum" et sic promotos eos amoverem, vel specialem pro eis divisionem instituerem. Nisi de uno alterove tantum seniore agatur, id quod non erit magno incommodo. Officia autem in Congregatione iuvenum omnino iuvenibus sunt reservanda ad unum omnia; nisi quod alicui seniori praeclaro e. g. titulum "Praefecti ad honores" concedamus.

NUNTII MINORES

Dies Eucharisticus per *totam Rempublicam Chilensem* a Sodalitatibus nostris institutus est die 19 Iunii, die Corpori Christi sacro. Fasciculo integro folii periodici "Efemerides Marianas" (Agosto 1924) per 84 paginas nihil aliud exhibetur, nisi sollemnitates Eucharisticae in singulis Reipublicae civitatibus institutae. Ubi Congregationes sunt, ibi hae solemnitatibus instituendis operam dabant; ubi vero non sunt, illuc legatos Foederatio Sodalitia emisit, qui omnia pararent: sacras caeremonias et popularia comitia. Haec comitia viri spectatissimi laici oratiionibus de cultu Eucharistiae dictis ornabant, quod nulla re magis Catholicorum tepidorum animos commoveri, quam apostolorum laicorum exemplo scirent. Sic Foederatio Chilensis Congregationum Marianarum eodem festo die apostolatum splendidum exercuit simul in 26 urbibus.

Nova ephemeris Sodalitia lingua slovacica a Nostris Tyrnaviae (Trnava) edi coepit, cui titulus: "Marianska Kongregácia", editor vero P. Stephanus Kramár. Haec iam quarta ephemeris Sodalitia est, quae nobis a semestri orta nunciatur.

QUAESTIONES PRACTICAE

An necesse sit Directorem ipsum singulis conventibus Congregationis interesse? Huic quaestioni considerato fine conventuum hebdomadalium respondendum est. Finis enim conventuum is est, ut Sodalium fervor cum in pietate, tum in apostolatu iterum iterumque confoveatur, Sodales de modo Beatam Virginem colendi, virtutem prosequendi, animasque iuvandi edoceantur, res tandem Sodalitatis internas inter se disceptent et ordinent. Iam apud iuniores haec omnia vix unquam sine ipso Directore praesente et rebus singulis providente fieri poterit. Aliter in Sodalitatibus adultiorum vel etiam aetatis maturae; ibi enim Directorem ipsum interesse et Sodales tam singulos quam omnes simul alloqui *ordinarie* utique necesse erit, non tamen ita, ut conventus nunquam nisi illo ipso interveniente fieri possit.

Revera evenit aliquando, ut Director gravi de causa a conventu abesse cogatur. Bene recta Congregatio nihilo secius conventum aget cum optimo omnino fructu, Praefecto praeside. Pro allocutione habebitur pia lectio et colloquium sive Marianum, sive apostolicum, unoquoque id ad praefixam materiam dilucidandam proferente, quod aut e suis meditationibus lectionibusve, aut usu et experientia duce didicerit. Imo habet aliquando speciale quoddam emolumentum Directoris absentia; sic enim occasio offertur Sodalibus magis active sese gerendi in ipsa Congregatione sustinenda et evolvenda; item Praefecti auctoritas magis acuitur, quae secus facile aliquando in id corruit, ut preces communes praeoret.

Directoris tamen est modum, quo in eiusmodi conventu res singulae agantur, cum Praefecto antea discutere et determinare; item rationem poscere postea, si quid praeter morem in istiusmodi conventu acciderit.

Missionibus iuvandis Sodales nostri multum inservire possunt *signa postalia* et chartam argenteam (stanniolum) *colligendo*. Si tot centena milia Sodalium ad hoc simplicissimum opus apostolicum accenderentur, incredibile quantum pecuniae Missionibus catholicis adduci posset. Aliqui in singulis Sodalitatibus designandi sunt, qui curam suscipiant, res a Sodalibus collectas compingendi et aut vendendi aut ad exteras nationes mittendi, ubi carius vendantur. Utile est e. g. signa postalia magna quantitate in ipsas Missiones mittere (in Indiam, Sinas etc.), nam ibi magno pretio venduntur. Quid Sodales nostri, qui in toto mundo ad 7.000.000 censentur, sic facili negotio praestare possent!

De transitu in aliam Congregationem iterum quaerit Pater quidam: " Sodalis transiens ex una Congregatione in aliam (e. g. discipulus Collegium mutans) potestne admitti sine nova probatione et consecratione? Regula 47 videtur indicari responsum affirmativum; ibi enim praescribitur, ut Director, a quo Sodalis discedit, det ei litteras patentes, " quae fidem faciant ipsum esse Sodalem et dignum, *qui ut talis, in alias Sodalitates admittatur* ".

Respondemus: " Transitus " intelligi potest dupliciter: aut enim pro tempore tantum (e. g. ad medium annum) domicilium mutatur et tunc Sodalis more hospitis admittitur ad novam Congregationem transitorie; aut definitive mutantur et domicilium et Congregatio. Regula de litteris patentibus dandis utrumque casum respicere videtur. De primo casu non est loquendum; clarum est, ibi nullam formalitatem requiri, sed tantum permissionem Directoris, ut quis hospitis more ad conventus veniat. In altero casu vera *admissio* requiritur; utrum cum consecratione aliisque formalitatibus, et etiam aliqua probatione praemissa (maxime ubi de pueris agitur), vel sine his: de hac re nihil est praescriptum. *Solent* tamen sollemnitates, imo probationes novae (maxime apud pueros) adhiberi, uti in A. O. (I, 7 sq.) indicavimus.

" In Elencho Indulgentiarum, quaerit porro idem Pater, dicitur n. 27 de diu absentibus: " ad Indulgentias acquirendas *tenentur* Sodalitatem loco novi domicilii existentem suoque statui convenientem *ingredi*, nisi contradicat Director huius Sodalitatis " etc. *Ingredi* quid dicit? Iterum admitti? An: hospitis more conventibus interesse? " — *Respondemus:* Cum hic agatur expresse de " Sodalibus per annum aut tempus diuturnius a loco Sodalitatis absentibus ", videtur sermo esse de transitu proprie dicto seu de admissione vera in novam Congregationem.

" Sed quid, quaeritur iterum, si Director contradicit, nec Sodalem advenam admittere vult? Lucraturne Indulgentias talis Sodalis? " — *Respondemus:* Videtur lucrari; nam condicio Indulgentiarum lucrandarum appcsita (cum in Regula 47, tum in Summario Indulgentiarum n. 27) et obligatio transgrediendi in aliam Sodalitatem expresse adhibet exceptionem: " nisi contradicat Director huius (novae) Sodalitatis, aut aliud adsit legitimum impedimentum, de quo prioris Sodalitatis Director iudicabit ". Itaque si in secundam Congregationem non admittitur, e prima vero non est dimissus seu expulsus: manet Sodalis prioris Congregationis et ut talis lucratur Indulgentias, praeter illas, quae conventibus frequentatis sunt concessae.

Quot Sodales sint singulis Sectionibus adscribendi? Ad hanc quaestionem difficile est modo universali respondere. Generatim paucos potius, quam multos eidem Sectioni adscribere praestabit, e. g. 8 vel 10, qui bene sese cognoscant, facile congregentur et alacriter laborent ad praefixum sibi finem. Si plures (e. g. 30) eidem operi sese dedicare volunt, melius erit plures Sectiones (vel: plures cohortes eiusdem Sectionis) constituere ad eundem finem; sic e. g. catechistae turmas plures constituent, quarum singulae singulis locis doctrinam christianam explicandam assumunt. Ceterum in hac re magna libertas concedenda est singulis Directoribus iuxta variam locorum et temporum indolem.

De dimittendis e Congregatione in Collegiis. " Cupio, — scribit Pater quidam — ut R. V. me edoceat *circa eiiciendos* e Congregatione in Collegiis.

" Hic duae in Collegio habentur poenae: suspensio et eiectio. Suspensio iis imponitur, qui uno mense bis

terve notam *4* (ex 5 adhiberi solitis) retulerunt, vel qui notam *3* etiam diversis mensibus, sed saepe acceperunt. Iis vero, qui post suspensionem non sunt emendati, vel gravius aliquid commiserunt, expulsio imminet.

" Difficultas est in eo, quod hac ratione Congregatio nimia mobilitate gravatur; praeterea periculum est, quod eiiciendi sunt aliqui, qui secus boni sunt ac certo magis quoad cordis puritatem B. Virgini placent, quam alii, qui ad extra valde regulares sunt ".

Respondemus: intelligi tam severas poenas, ubicumque certum est, notas illas a pueris *segnitie et negligentia culpabili* contrahi et etiam secus, non posse tolerari, ut ii Sodales sint, qui aut quoad studia, aut quoad disciplinam minus respondent. In ipsam enim Congregationem redundaret dedecus, si membris componeretur, quae in schola et convictu ultima fere loca occuparent. Propterea in multis Collegiis de admittendis in Sodalitatem etiam Praefecti disciplinae et studiorum interrogari solent. Aliquando tamen evenire potest, ut Professores aut Praefecti nimium a Sodalitate postulent et eiectionem e Sodalitate tamquam simplicem poenam scholarem vel disciplinarem respiciant. Qua in re certe moderamine est opus, nam criterium primarium admissionis vel retentionis in Sodalitate interna et religiosa iuvenum indoles sit oportet. Admissum semel Sodalem eiicere: res est valde intricata, cum facile totam indolem religiosam adolescentis vitiet; non est igitur adhibenda tanta poena, nisi gravi de ratione; profectus autem minor in studiis tandem aliquando per se non est necessario tam gravis defectus. Et generatim: praestat vitam sodalitiam non nimis connectere sive cum disciplina Collegii sive cum studiis; secus facile modus agendi politicus et parum sincerus in Congregationem inducitur.

De usu numismatis. Rogat idem Pater: " Dicat mihi R. V., quis sit usus numismatis in Congregatione ".

Resp.: Est numisma signum benedictum, admissionis sollemnis memoria, et defertur in sollemnitatibus Congregationis: communione generali, admissione novorum Sodalium, processionibus publicis, academiis festivis etc. In quibusdam Congregationibus mos est deferendi numismata in singulis conventibus; hic tamen usus generalis non est. Duplici modo numisma deferri solet: aut ita, ut de vitta collo circumdata dependeat (qui modus magis feminarum est, sed e. g. in Hispania etiam a viris adhibetur), aut ita, uti milites numismata decorativa pro meritis accepta portare solent: seu ut sinistrae parti pectoris numisma de " rosetta " pendens adnectatur. Numisma ex una parte imaginem B. V. M. exhibere solet, ex altera v. g. imaginem Patroni secundarii. Color vittae seu rosettae varius esse solet, maxime caeruleus, Consultorum roseus, Praefecti albus. — *Numisma* distinguitur a *sigillis*, quae extra conventus Congregationis perpetuo portantur, suntque plurimis Congregationibus communia atque ad eum finem adhibentur, ut Sodales etiam variarum Congregationum sese ut tales dignoscant.

Possintne Congregationes Sororum Caritatis aggregari nostrae Primariae? De hac re post scholia nostra (A. O. I, 83) dubium remanere poterat. Itaque distinguendum est: si apud Sorores Caritatis (seu Vincentianas) *nova* Congregatio erigitur, necdum Primariae ipsarum aggregata, haec procul dubio nostrae Primariae aggregari potest. Si vero iam semel Primariae illarum Sororum est aggregata et sic Indulgentiarum a Summo Pontifice huic donatarum particeps, aggregatio ad aliam Primariam fieri nequit (Can. 723, § 1), nisi prius Congregatio ab Episcopo loci dissolvatur et tamquam nova iterum erigatur. Eadem enim Sodalitas duabus Primariis aggregari valide non potest.

CHRONICA

Szeged in Hungaria, *Cooperatio Congregationis cum operibus externis.*

Qua ratione apostolatus Congregationis ad necessitates hodierni temporis adaptari et extendi possit, exemplo suo docent Congregationes a Nostris erectae Szegedini in Hungaria, quae civitas est fere 130.000 incolarum, quorum tamen cura pastoralis diu neglecta misere torpuerat. Nostri ante triennium pedem ibi fixerunt et praeter consueta in templis ministeria Sodalitatibus instituendis inprimis operam dederunt. Illud autem habent duae praesertim Congregationes Szegedinenses peculiaris momenti, quod non contentae suavi quadam et modesta vita sodalitia, ad pleniorem apostolatus exercitationem prodierunt, imo opera quaedam externa, quasi sui ipsarum extensionem, instituerunt, quo latius optimum quemque sibi sociarent et uberius rem catholicam promoverent.

Altera harum Congregationum *virorum* est. Non tantum Sectiones tres genuit: asceticam, culturalem, socialem, sed praeter has Sectiones peculiarem associationem condidit " *Catholicorum Ecclesiam Defendentium* " (*AVE* = " Anyaszentegyházat Védö Egyesület "), quam associationem Sodales omnino dirigunt, sed ad illam etiam viri admittuntur, qui Sodales non sunt. Semper enim inveniuntur homines, honesti omnino et religionis amici, qui libenter defendunt Ecclesiam eiusque praecepta servant, Congregationi tamen adscribi aut nolunt, aut non possunt. Ne hi apostolatui perirent, visum est eos saltem Sectionibus, vel potius operi " AVE " Sectionibus addito adscribere, eo vel magis, quod saepe homines sint magna auctoritate praediti, sive in urbe administranda, sive in Universitate aliisve scholis altioribus publicis regendis, qui nisi laxiore aliqua organisatione ad apostolatum exercendum invitentur, omnino excideret ex ordine defensorum rei catholicae.

Hi associati semel tantum in mense conveniunt simul cum Sodalibus ad discutienda et stabilienda ea conamina, quae pro re catholica illo mense suscepturi sint. Devotio specialis, uti in Congregatione, non fit, sed ubi assumuntur, data manu promittunt, se leges Ecclesiae servaturos remque catholicam viriliter tutaturos. Multi quibus speciales illae Congregationis devotiones interim minus arrident, sic quasi " Sodales externi " fiunt, estque spes fore, ut aliquando etiam veri

nominis Sodales efficiantur. Opus *AVE* habet 200 adscriptos, e quibus 50 sunt Congregati.

Iam si quaeris, quidnam haec Congregationis extensio brevi tempore effecerit, audi:

Exercitationibus religiosis, maxime virorum, invitationibus propagatis optime praelusit; sic " missae virorum " (ut dicitur), cum cantu sacro populari et virili, et sacri virorum secessus tempore paschatis splendide efloruerunt. Moribus publicis castigandis viri operi AVE adscripti invigilabant, auctoresque erant ut dramata inhonesta ex urbis theatris exsularint. Semel atque iterum, quin homines nefasti aut rei catholicae osores ad publica officia et magistratus obeundos nominarentur, impediverunt; e contra curatum est, ut proportione servata viri catholici maiore numero officiis publicis potirentur. Ephemeridem catholicam adornarunt et sustinent, quae principia catholica in vita publica urbis et regionis tueatur et iura religionis contra cotidiana malarum ephemeridum molimina defendat. In propinquis oppidis " dies catholicos " seu congressus instituunt, qua re miro modo inter catholicos conscientia sui augetur et protestantium petulantia coercetur. Praeterea generales totius regionis catholicorum congressus iam tertio egerunt tanto eventu, ut vita religiosa catholicorum illius regionis visibiliter instauretur: nova templa construantur, novae paroeciae et scholae catholicae erigantur, novae Sodalitates instituantur etc.

His moti prodigiis iam aliae quoque urbes certant coetus erigere operis *AVE*. Neque tamen Nostri importune festinant novos ubique surculos propagare, cum sciant (id quod spectatores externi plerumque ignorant), opera ista ea tantum condicione vere florere posse, quod *Congregati* bene formati *quasi nucleus totius operis externi* praesto sint. Ubi enim firmius fundamentum religionis deest, opera illa vix diu sustineri usu docemur multiplici. Sunt tamen iam aliqua loca, praeter urbem matrem, Szegedinum, quae suos circulos " AVE " habent, Sodalibus Marianis ubique fundamenta iacientibus et cum Congregatione virorum Szegedinensi consilia operaque in unum conferentibus. Tria imprimis sibi agenda omnes hi virorum coetus praefixerunt:

a) Per totam regionem illam *stabilire condicionem et institutiones vitae religiosae* (templa, paroecias, scholas); e. g. ubi 5000 catholici simul vivunt, eos ad " commissionem ecclesiae aedificandae " constituendam inducunt.

b) *Familias* a morum pravitate *integras servare;* quem ad finem Foederationem Parentum ubique stabiliunt.

c) *Operarios*, etiam agrarios, a socialismo retrahere operibus socialibus curant.

* * *

Simili modo *altera* huius urbis Congregatio *mulierum* non tantum ipsa floret, sed etiam apostolatum, dilatata operum suorum sphaera, exercet. Ut feminas, ceteroquin bonas, quae tamen ad Congregationem ineundam aut ineptae sunt aut indecisae, bono operi manus admovere compelleret, eas *organisationi caritativae* Congregationi adiunctae (" Opus Si Ioseph ") nomen dare invitavit. Reapse matronae urbis certatim 36 Sodales adiuvant operibus caritatis exercendis, brevique plus 1000 familiae pauperes invisebantur, ut de egestate eorum, eiusque causis, certiores fierent matronae et ubi iustum erat, auxilium ferrent. Sic 700 familiae extrema certe inopia sublevatae sunt, sive eleemosynis distributis, sive apti laboris occasione porrecta. Per se patet, id Sodales imprimis satagere, ut dum corporis egestas lenitur, animis quoque salus et medicina paretur. " Opus Si Ioseph " hodie in tota urbe notissimum est, atque aestimatum, quamquam pauci tantum sciunt, illud inprimis Sectionem esse Congregationis Marianae mulierum, quae utique externo quodam organo campum apostolatus sui dilatavit.

Iacobus Bus S. J.

Nota Editoris:

Notant Nostri, institutionis istius auctores, extensione illa et dilatatione Sectionis ad extraneos *vitam internam Congregationis minime tangi aut mutari.* Imo omnia in Congregatione primum praeparari et disceptari, antequam ad Sectionem, seu Associationem annexam deferantur (1). Tamque scite omnia composita sunt, ut semper a Sodalibus proprie dependeat, quid in istis Associationibus vel Operibus aggrediendum aut agendum sit, neque haec rerum compositio ab externis, imo ne ab ipsis quidem adscriptis non-Sodalibus animadvertatur.

(1) Si quis plura de his organisationibus scire desiderat, scribat R. P. Iacobo Bus, Kalvaria-ucca 1., Szeged, Hungaria.

TELEPHONIUM EDITORIS

Supplementum huic fasciculo addimus " Silvae Marianae " numerum I, seu " Brevem Catechismum Congregationis Marianae ": Singulis Nostris, quibus " Acies Ordinata " mittitur, mittimus singula Supplementi exemplaria " gratis "; aliis, praesertim externis, pretium solvendum erit, idque paulo maius, quam numero priore indicavimus; visum enim est charta meliore uti. Itaque *pretium supplementi erit:*

pro 1	exemplari libellae ital. (lire)	1 —
pro 10	exemplaribus „ „ »	8 —
pro 100	„ „ „ „	70 —

expensis transportationis semper inclusis.

Peregrinationes Romanas Sodalitatum nostrarum quamprimum nobis significari perutile erit; nam secus difficile erit omnia tempore curare. Sic quamprimum nobis nuntiandum est: *a*) *quot* Sodales quodque genus hominum venturi sint, *b*) *quonam* tempore. Desideriis singularum Sodalitatum secundum ordinem nuntiationis apud nos factae satisfacere conabimur.

P. I. K. Ad quaestionem, qua de causa formula consecrationis Sodalium Sancto Francisco Salesio tribuatur, Pater quidam sic respondet: " Hanc formulam iam inveni in " Oeuvres complètes de St. François de Sales ", tome III p. 609 sub titulo: " Orayson et protestation de fidellité à la très-Saincte Vierge ".

P. I. V. " Rev. V. tam altos fines Congregationi praefigit, ut mihi fere desperandum esse videatur. Nos in modestis vitae nostrae adiunctis nihil grande nobis proponere possumus ". Non dicimus, quoad apostolatum et opera externa omnes Sodalitates ad eosdem fines tendere debere, verum pro sua cuiusque facultate singulas ad altiora tendere oportere nec parvis quibusdam fructibus cito contentas esse.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24